

Johann Arnold Amsinck


Piam Memoriam Viri Summe Reverendi Excellentissimi Amplissimi Georgii Ludovici Herrnschmid S. S. Theologiae Doctoris Meritissimi Pastoris Ad D. Michaelis Aedem Fidelissimi Scholarchae Et Ordinis Sacri Senioris Gravissimi D. XXIII Nov. Anni MDCCLXXVIII Placida Morte Extincti Potioribus Vitae Momentis Expositis

Hamburgi: Piscator, 1779

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825974887>

Druck Freier  Zugang





H-171.

PIAM MEMORIAM
VIRI
SYMME REVERENDI EXCELLENTISSIMI
AMPLISSIMI
GEORGII LVDOVICI
HERRNSCHMID

S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS MERITISSIMI
PASTORIS AD D. MICHAELIS AEDEM FIDELISSIMI
SCHOLARCHAE

ET
ORDINIS SACRI SENIORIS GRAVISSIMI

D. XXIII NOV. ANNI MDCCLXXVIII

PLACIDA MORTE EXINCTI

POTIORIBVS VITAE MOMENTIS EXPOSITIS

POSTERIS COMMENDAT

JOANNES ARNOLDVS AMSINCK, J. V. L.

PHIL. PRACT. P. P. ET EO ANNO GYMNASII RECTOR.



HAMBVRGI,

LITTERIS JEREMIAE CONRADI PISCATORIS, AMPLISS. SENAT. GYMNASII

ET SCHOLAE TYPOGRAPHI.

Handwritten signature and date:
Sp-171.

PIAM MEMORIAM
VIRI
SVMME REVERENDI EXCELLENTISSIMI
AMPLISSIMI
GEORGII LUDOVICI
HERRNSCHMID
S. S. THEOLOGICAE DOCTORIS MERITISSIMI
PASTORIS AD D. MICHAELIS AEDEM FIDELISSIMI
SCHOLARCHAE
ET
ORDINIS SACRI LITTORIS GRAVISSIMI



D. XXIII NOV. MDCCCLXXVIII
PLAC. EXTINCTI
POTIORIBVS
JOHANNES ARTHURUS AMSINCK, P. M. P.
RECTOR

HABITUS
LITTORIS LITTORIS AMPLISSIMI
ET SCHOLARCHAE



Quaquam, mutato jam fere ante vicennium sepeliendi ritu, praecipuus elogiorum funebrium cessaverit finis, conscribentur enim ideo, ut exposita viri de re sive publica sive sacra insigniter promeriti vitae historia, virtutum atque meritorum pia recollectione incitarentur cives, ut ejusdem funus solemnium pompa ducendum frequentia sua cohonestarent; nihilo tamen minus servatur adhuc et servabitur merito scribendorum iste elogiorum mos, in quo quidem praeter eum, quem commemoravi, plures etiam scopi iidemque multo graviores locum habent. Viri enim ob ingenii praeclaras dotes, ob insignem eruditionem, imprimis autem ob animi candorem et multa in publicum commodum laudabiliter gesta notabilis vita, literis sedulo consignata, non memoriam solum, sed merita adeo ipsa ultra mortem protendit, factorumque splendentium, et quae virtutem sequuta sunt praemiorum commemoratione, ut imitentur quicumque ad patriae salutem augendam vires datas sibi sentiunt, acriter provocat. En igitur jam eum, quem, dum Viri S. R. ac posteritatis memoria et imitatione longe dignissimi, **GEORGII LVDOVICI HERRNSCHMIDII**, S. S. Theologiae Doctoris et Sacri in hac urbe Ordinis Praefulis placida mortem extincti, vitam conscribere munus injungit, egomet mihi proponendum ratus sum finem. An et quatenus eidem satisfecerim judicabunt alii. Qui vero, aequos, non peritos solum, ut agant rerum aestimatores, precor, ac, si forte reprehenderit quaedam non satis ornate aut eleganter dicta, haec novitati operis, ac muneris adeo ipsius, cui vix ante annum elapsum ex alio plane vitae genere, forensi quidem, admotus sum, impunitas, amice condonent.

Natus est Vir S. R. anno clō ccxii Bopfingae, S. R. I. libera urbe in circulo Suevico, ubi ante patrem avus etiam atque proavus ob hereditarias virtutes hereditario quasi functi sunt munere sacro. At non diu patrio cœlo frui licuit Nostro. Pater enim JOANNES DANIEL HERRNSCHMID, Theol. Doctor, qui, ex candidissima uxore SABINA CATHARINA, gentis SCHWARTZIAE, inter XIII liberos septimum Eum susceperat, eodem quo Ipse natus erat anno, in dignitatem ac munus adfessoris sacri senatus et sacrorum antistitis in principatu Nassovico, Idstenium vocatus, secum duxit recens natum filiolum ibique educavit, usque dum quatuor annis post inde rursus evocaretur. Quum scilicet Herrnschmidius pater Adjuncti Facultati Theologicae titulo condecoratus, institutioni academicae Halae antea inserviisset, quam in patriam ad munus sacerdotale revocatus fuerat, grata meritorum Ejus recordatio Summos hujus Academiae Curatores commovit, ut anno clō ccxvi Professoris Theologiae ordinarii munus atque honorem Ei offerrent. Quem quum accepisset, factum est, ut alma hæc musarum sedes, majori fere jure, ac ipse nativitatis sive educationis primae locus, patriae nomine Nostro venire potuerit. Quum enim Bopfingae nihil fere praeter existentiam deberet, neque Idstenii satis diu commoratus sit, ut, quantum ad educationem, multa ibi commoda percipere potuisset, Halae potius omnia, quae vitam reddiderunt felicem et memoriam perennem efficient, retulit accepta. Ea enim jam huc perlatus aetate, qua in efformando animo prima jaci solent fundamenta, eodem etiam loco his porro superaedificavit, ac summum deinde imposuit culmen. Hic denique, juvenis undecim annorum, quum utroque parente uno fere die orbatus esset, (obierunt enim anno clō ccxxiii d. v. et vi. Febr., febris maligna correpti) invenit fautores, qui parentum vicem sustinerent, ac ita educandum atque instruendum curarent, ut omnibus quos negotia sive consuetudo Ei junxerant, vivus maximi commodi et laetitiae, jam vero mortuus haud fucati luctus causas praebuerit.

Prima quidem literarum rudimenta deposuit privatorum doctorum ope. Deinde vero continuavit scholastica studia sub auspiciis praceptorum inclytæ scholæ Orphanotropheo junctæ, ac denique plane absolvit in paedagogio regio, quod itidem Halae floret. Ita ad academica studia praeformatus, hæc ipsa amplexus est anno clō ccxxix, quo scilicet civibus academicis adscribi se passus est. In his autem non leviter sese jactavit, more eorum, qui panis olim lucrandi aut uxoris ducendæ desiderio solum ducti finem studiis immature imponere properant, sed per integros v. annos eo ardore coluit literas, quo decet juvenem, qui id agi sentit persuasumque habet, ad veram hominis vitam vivendam ut conformetur, eaque sibi colligat subsidia, sine quibus pro electa vitæ ratione

ratione nec sibi nec aliis vere prodesse possit, non vero, ut in academia per aliquot annos solum se vixisse, id est comedisse, bibisse, dormivisse, forsitan etiam, quotiescumque libuerit, virum de rebus utilibus verba facientem audivisse, gloriari possit. Nec, ut credo, unquam Eum poenituit paullo longioris in studia tam bene impensi temporis. Quin potius et hoc ipsum inter causas solidae Ejus eruditionis numerandum, quae postea fautorum ac promotorum gratiam facillime Eidem conciliavit, atque effecit, ut munera ac honores, omnes fere quos adeptus est, plane non petenti ultro offerrentur. Eâ quidem ratione universum studiorum curriculum Halae absolvit. Quamvis enim post exactum primum triennium Jenam petierit, non tamen diu hic commoratus est, sed mox ad Halenses musas reversus earum ductu inchoata studia ad finem produxit.

Absolutis jam anno clbcccxxxiv studiis academicis, primum cepit mentem propositum, eligendae vitae ut ajunt academicae. At eodem anno Berolinum profectus, amicos, interque hos inprimis JO. ULR. CHRIST. KOEPPENIVM, tunc temporis ad D. Nicolai ecclesiasten, postea vero Supremi Consistorii Regii adfessorem et Praepositum, cui soror Nostri erat nupta, visurus; hujus potissimum auctoritate permotus, per aliquod tempus hic commorari secum constituit. Nec illud quidem animi jam tum mutati signum fuit. Vera enim et unica potius in hac urbe commorandi causa fuit, ut doctissimorum et politissimorum hominum quotidiano in congressu vires ingenii magis excoleret, easque quibus jam erat instructus animi dotes, Viris quibus rei ecclesiasticae atque academicae cura tradita erat, declararet ac commendaret. At evenit tamen postea, ut eadem commoratio Berolini longius protracta a priore proposito penitus Eum averterit, atque in plane aliud, quam quod ante constituerat, vitae genus invitum quasi protruserit. Quum enim, anno clbcccxxxvi apud legionem Archistrategi A KLEIST constitutus sacerdos castrensis ad majorem evectus fuisset dignitatem, in ejus locum suffectus est Noster, qui quidem tantum abfuit ut ambierit hocce munus, ut potius se neque cupiisse quidem, quin imo non nisi suadentibus demum amicis atque fautoribus illud suscepisse, in adversariis testatum reliquerit.

Quod munus primo vere anni clbcccxxxvii auspiciatus, fesquiquartum et quod superfuit annum Berolini agebat, cujus quippe praesidia inter numerabatur legio, cui Is erat addictus, quum prope finem anni clbcccxl media hyeme, Regis bellum cum domo Austriaca molientis castra sequendi in Silesiam necessitas oriretur. Quo in bello quam multa tulerit feceritque, licet ex ipsa rei natura hujusque belli historia jam satis colligi possit, clarius tamen apparet ex diario, quod Ipsius V. B. manu exaratum non sine animi permagna voluptate inspicere atque perlegere mihi licuit. Ex quo quidem, quum ingenua ac simplici narratione multa

B

exhibeat

exhibeat facta, quae ad indolem mentis Optimi Viri illustrandam plurimum faciunt, quaedam hic prolixius exponere, nec incongruum, nec lectori ingratum duco; quae simul singulares Illius virtutes, imprimis autem erga omnes humanitatem, erga curae suae concreditos amorem eximium, in officio implendo summum ardorem, fidem denique et constantiam neque molestiis neque periculis fractam sive turbatam, tanquam ex documento fide dignissimo hausta, probabunt.

Fortis quippe ac supra pericula elati animi, non in tolerandis solum consuetis belli calamitatibus, dedit documenta, quamvis et has ex intempestiva anni parte, ex regionis iniquitate ac incolarum ob multas causas interque eas imprimis ob religionem quoque diversam infenso animo, ex hostium denique per totum fere tempus continua vicinia, insigniter auctas experiebatur; sed singularibus eundem etiam probavit occasionibus. Eas inter referenda videtur, qua in obsidione Ottmachaviae, parvuli Silesiae oppidi, usus est agendi ratio. Casu quidem in itinere a legione sua separatus, jam neque eandem rursus attingere, nec vulneratis valde efflagitantibus Ipsius opem solatium afferre potuit, nisi prius per mediam fere mortem, prope scilicet arcem huic oppidulo junctam transfret, in quam hostes sese conjecerant, e fenestris speculantes, si quem ex obsidentibus eminus ferire possent. Nullo tamen modo metuit Noster manifestum hoc vitae periculum, neque ipsos globulos letiferos aures Ipsius personantes; quin fortiter potius his obviam ivit, ac iterato denique ausu effecit, ut cum suis jungeretur miserisque solatio esse posset. Eundemque non minus in aliis probavit casibus, in quos Illum sive muneris ratio sive speciale superiorum mandatum vocabat, fortem animum, quae minutim exponendo nimis prolixam redditorum mihi viderer orationem. In reliquis tamen nullo modo ferox, sed circumspectus potius erat, et securitati suae prudenter consulens.

Laborum atque aerumnarum quantum patiens fuerit, in eodem hoc bello Bregae insigne dedit documentum, quo quidem, post celebre pariter atque cruentum Mollwitzense proelium, totius exercitus Nosocomium translatum erat. Quum enim, praeter aliarum legionum aliquot centurias, exiguae quoque Kleistianae legionis ex pugna reliquiae, cujus quippe vix tertia pars illam erat egressa, praesidium hic agerent, Nostro data est nosocomii hujus, quod IV millia aegrotorum continebat, quorum plus tertia pars in periculo mortis versabatur, cura, quam dicunt spiritualement. Eaque per integrum fere mensem soli Eidem incubuit, dum Collega Ipsi datus statim ab initio gravi morbo esset depressus, neque a sacrorum in castris praefecto ullo modo posset impetrari, ut alius Ei jungeretur, donec ad postremum candidati cujusdam ministerio quodammodo sublevatus est. Tot laboribus, ad quos accedebat eorum qui Bregae praesidio erant
militum

militum cura, per integros novem menses actis, ita exhaustae sunt vires, pestiferisque tot aegrotorum exhalationibus ita debilitatum est corpus, ut Nissae, quo sub initium anni dclb ccxlii deferebatur exercitus, gravissimo morbo succumberet, qui non ante mediam aestatem plane illum deseruit.

His tamen laboribus, molestiis et miseriis, non, ut saepe fieri solet, fracta et imminuta, sed inter ipsa haec aucta potius et confirmata fuit Viri humanitas. Cujus quidem rei luculentissima tunc dedit documenta, quum per eas regiones transiret exercitus, in quibus plurimi incolae Luthero addicti, a libero sacrorum suorum cultu erant interdicti. Horum enim flagrantissimo desiderio se non detraxit, sed quantum permisit muneris ratio diem unum aut plures inter eos commoratus, omnibus qui ex vicinia undequaque confluerant, divina oracula exposuit et sacri epuli solemnia, quibus diu caruerant, cum ipsis celebravit; quod quidem propter adversariorum odium ac insidias non sine vario periculo fieri potuisse, facile est intellectu. At magis fere in hoc probavit humanitatem suam quin etiam constantiam atque industriam Vir egregius, dum Bregae commoraretur. Siquidem neque pericula, neque omni ex parte cumulata muneris officia impediebant, quo minus iis quoque prodesse studeret, qui a religionis catholicae cultu ad nostra sacra transire, vel metu aut persuasionibus olim istam amplexi, ad haec redire cupiebant. Quos quidem sacris praeceptis non satis instructos institutione etiam, qua opus erat, juvit, antequam ad sacram coenam et ecclesiae nostrae societatem eos admitteret. Eaque omnia, quum haud unquam temere fecerit, sed ipsorum potius qui hic locorum erant sacerdotum evangelicorum consensu et rogatu, ardentique desiderio ipsorum hominum ultro eum adeuntium, et, ut angorem animi effatis sacris leniret, atque in illam ecclesiam, in qua sola animi tranquillitatem recuperare posse putabant, pius reduceret, enixe flagitantium, quis est, qui arguere Ipsum audeat immoderatae nec omnino laudandae cupidinis profelytos undequaque colligendi? Quis est, qui non potius Viri humanitatem atque laboriositatem laudet atque miretur? Neque tamen unicum fuit hoc quod dedit humanitatis suae documentum. Testatur enim de eadem in primis etiam concordia et familiaritas adeo, quam per omne tempus, quo cum exercitu peregrinabatur, cum omnium locorum sacerdotibus, praecipue vero Bregae, coluit. Quamvis enim, quum diutius hic commoraretur, fieri non potuerit, quin variae exorirentur invidiae et contentionum causae, comitas tamen Ejus patientia et obsequium semper ita mulsit animos, ut neminem haberet male Ipsi cupientem, verum omnibus carus inde secesserit. Ejusdemque rei liceat denique unum addere specimen, quo praecipue, quam ad miseris succurrendum promptus fuerit, luculentissime

apparet. Comitabatur aliquando copias, ad expellendos praedatores, quibus scatebat Zugmantel, oppidulum in Silesiae montibus situm, missas. Quorum quum pertinacia vinci non potuisset nisi incensa urbe, inter flagrantem domos obequitans Noster, venit ad casam, ubi per fenestram videbat mulierculam vetulam in lecto aegram decumbentem, a suis misere relictam. Tristi hac forte commotus domum intrat, atque auxilio duorum, quos forte offenderat, chirurgorum castrensi lectum exportare ac flammis eripere studet. Quod vero quum januae angustia impediret, reliquit miseram curae egeni cujusdam viri, quem antea jam a militum incurfu servaverat, et ipse ad praefectum militum advolavit, a quo ut parceretur huic domui precibus suis haud difficile impetravit. *Non possum dicere, ingenue addit Vir Beatus, enarrata hac re in iam memorata consignatione rerum gestarum, quantam ceperit animus meus laetitiam, ex eo quod miseris hisce duobus hominibus vitam servaveram.*

Eaque ad animum Viri monstrandum sufficiant exempla, qui quidem ex Ipsius etiam inter nos gestis abunde omnibus innotuit; et ab fat magno eorum numero, qui aut familiari cum Ipso usi sunt consuetudine, aut Ipsius suffulti fuerunt auxilio, meritis laudibus celebratur.

Adpropinquare jam videbatur tempus, quo e semente tot per labores probe jacta largam messem colligeret Noster, et vere apparuisset, modo Is ipse acceptare voluisset oblatum munus. Bregae enim durante bello diutius, ut antea diximus, commoratus, spectata Ipsius in negotiis et molestiis suscipiendis, agendis et perferendis, alacritate dexteritate ac patientia, summa Sui admiratione impleverat Bregenses, moveratque, ut Archidiaconi ad primariam urbis aedem tum forte vacans munus Ei deferre constituerent. Sed, mirare animum Viri rectum ab omni privati commodi studio alienum, Ejusque in eo quod justum putabat, agendo constantiam adeoque pertinaciam, jam statim ab initio voluntati amicorum obtemperare recusavit. Computabat quippe secum, in ancipitem conditionem fore conjectos milites, si ante confectum bellum eos relinqueret. Neminem enim se melius eorum commodis consulturum fore, qui diuturna plurium annorum consuetudine, animum ac mores penitus nosset, cuique summo amore animique fiducia addicti et quasi toti dediti essent. Ita Suam quietem Suamque utilitatem alieno postposuit commodo. Neque removeri se passus est a proposito, quamvis concutere Ejus consilium omni modo studuissent amici, qui quidem sua auctoritate effecerant, ut a solita epistolae petitoriae ad magistratum exhibitione, et ab oratione sacra speciminis loco habenda liberaretur, quinimo de certissima Ejus electione et regia confirmatione, quanta dari poterat, fidem dederant, remque denique eo perduxerant, ut si modo studiis ac precibus eorum cedere voluisset, cum Archidiaconi munere, simul adsefforis in Consistorio Evangelico

Evangelico honor atque munus Ipsi fuisset oblatum. At fidus in communi rerum calamitate militibus suis mansit comes, omnique quo antea, ardore ipforum commodo infervit, quumque medio anno sequente pace restituta ad praesidium Berolini agendum reducerentur, eos sequutus est.

At non diu frui licuit tranquilliori hac vivendi ratione, quam confectum bellum Illi obtulerat. Renovatum potius post biennium in gratiam Caroli VII. Imperatoris cum domo Austriaca bellum in castra rursus Eum vocavit. Dubiumque sane videri potest, utrum in hoc an vero in priore bello plura tulerit feceritque. Quamvis enim, quod doleo, labores in illo a se toleratos tabulis haud consignarit, saepius tamen, familiari in colloquio, in multis maximisque periculis, cum aliis locis tum praecipue in Pragae expugnatione, se versatum fuisse narravit, quod quidem vero ab simile eo minus judicabit quilibet, quo magis regionis, in qua gerebatur bellum, Bohemicae, iniquitatem crebrasque quae dimicabantur pugnas animo perpenderit, eaque cum Viri B. in muneris officiis antea probato summo ardore comparaverit. Cujus tamen ardoris, summaeque, quam ante laudavi, in suscipiendis laboribus atque periculis alacritatis, non possum quin novum, quod ex hac quoque expeditione mihi innotuit, addam documentum. Quum enim aliquando non adesset, qui de aliqua re nuntium regi perferret, Ipse Noster in se suscepit hocce negotium atque ita perfecit, ut Ipsi adeo Regis non modo laudem, sed admirationem quoque sibi conciliaret.

Tot tantaque Viri merita Regi ipsi saepius patefacta atque probata, summi hujus et optimi meritorum aestimatoris et remuneratoris ita moverunt animum, ut jam de amplioribus beneficiis in Nostrum conferendis serio cogitaret. Cujus propositi mox data fuit exequendi occasio, per mortem scilicet IO. GE. FRANCKII, Consiliarii in Consistorio Ducatus Magdeburgici nec non Ministerii Halensis et totius Circuli Salici Inspectoris, in cuius scil. locum successus est Herrnschmidius, anno 1697. Etiam si vero non deessent multae, eademque gravissimae causae, cur iis, quae tum Halae obortae erant turbis sacris immisceri se aegre pateretur Vir pacis summopere studiosus; tamen, ne benigno Regi ingratus videretur, munus oblatum suscepit, ac divino suffultus auxilio ita sustinuit, ut omnium amore laetus frueretur. Simulque doctissimorum et clarissimorum qui tunc Halae florebant virorum, interque eos imprimis BAVMGARTENII confortio atque familiaritate gavifus est; id quod singulare ac utilissimum sibi fuisse animi oblectamentum atque laborum suorum dulce levamen, saepius Ipse testatus est.

Ita laetus per integrum fere Octennium hoc munere functus erat, quum ad altiorem dignitatis gradum divina providentia Eum vocavit. Anno enim 1699 oblatum est Ipsi plane non opinanti, quod fere

C

semper,

semper Ei accidisse diximus, munus summi sacrorum antistitis, seu ut vocant Superintendentis generalis in Comitatu Mansfeldensi. Quod quum Regis consensu rite impetrato suscepisset, anno sequenti d. xxiii Sept. Islebiae in aede D. Andreae solemniter inauguratus atque omnibus per universum Comitatum Mansfeldensem ecclesiarum atque scholarum doctoribus publice praefectus est; d. xii Octobr. vero in Consistorio ejus Comitatus praesidis locum occupavit. Vix autem ingressus erat munus, quum diuturnum illud et ferae posteritati magnae calamitatis ergo memorandum bellum, eodem hoc anno coortum, varia ac singulari fere ratione exercuit Ejus tam prudentiam quam constantiam ac fortitudinem. Duplici enim imperio, Brandenburgico scilicet et Saxonico, subjecta haec regio, in qua inter dominos ipsos gerebatur bellum, non poterat non tristissimo inde affici fato. Quicumque enim aderat exercitus, alterutri semper parti hostis erat. Jam itaque praeter summam difficultatem, rationem qua omnibus gratum se praestaret investigandi, haec etiam cura pressit Nostrum, ut quantum fieri posset, tam Suos, quam miseros advenas qui tenues opes suas hic contulerant, a militum iniquitate tueretur. In illum enim, qui, Ipse castra sequutus, militum mores optime nosset, atque modum et argumenta non ignoraret, quibus ad misericordiam sive humanitatem flecti solent hujusmodi homines, praecipuam suam spem posuerant miseri. Neque frustra. Non raro enim, postquam omnia saepe incassum tentata erant, Ipse in medios fere, qui domum suam quasi oppugnatam cingebant, se conjecit hostes precibusque suis ac persuasionibus id effecit, ut ab incendiando aut spoliando desisterent: eamque meritam inde retulit fidei atque solertiae remunerationem, ut ne nunc quidem cessaverit apud omnes incolas hujus regionis gratissima Ejus memoria.

Jam vero instat ea, quae nobiscum hunc Virum junxit arctius, vitae periodus. Bonum futurae vocationis Hamburgensis omen forte dixeris, quod primo statim, quo munus Islebiense ingressus erat, anno quaesitum clam ex Ipso fuerit, an munus Pastoris ad D. Jacobi, quod tunc vacabat, si eligeretur, suscepturus foret. Quod quidem tunc temporis, ob gravissimas, easdemque sine magna divinationis ope colligendas causas recusavit. Cessaverant vero harum quam plurimae, quum anno clv cclxv ad D. Michaelis aedem Pastor atque Scholarcha vocaretur, quinimo aderant contra tum, ut arbitrabatur, tot tamque certa voluntatis divinae signa, ut quae non plane deficiebant dubia, facile superaret. Accepit itaque novum munus, in quod die iv Martii publice immissus est. Cujus quidem muneris partes singulas quanto studio, quanto animi ardore, quantaque fide expleverit, jam ut ego praedicem opus non est. Testes enim ejus rei adsunt, non unus alterve sed quam plurimi atque gravissimi, omnes scilicet ii, qui ex ore Ejus pendentes sacrarum doctrinarum utilissima cognitione

tione imbuti sunt. Neque enim unquam separavit, quae indissolubili nexu cohaerent, credendorum et morum doctrinam, sed ita potius eas conjunxit atque disposuit, ut, saluberrimam illam religionis Christianae de Deo per Jesum Christum hominibus conciliato doctrinam, non solum modo, sed verae quoque virtutis esse fundamentum, undique appareret. Testes deinde sunt omnes, quibus familiari consuetudine propius Virum spectare fas fuit, quique in rebus secundis participem suae laetitiae, in adversis consolantem amicum experti, omnem vitam praeceptis consentientem cognoverunt. Testis denique est communis atque sincerissimus bonorum luctus, eorumque, qui speciem a veritate discernere, atque virorum merita justa lance perpendere solent atque valent, de Viro judicium, quod scilicet non eruditione solum, sed vitae etiam dexteritate, morumque imprimis suavitate, et aequa dissentientium toleratione, cujusvis boni promeruerit laudem. Quid quod publicae quoque approbationis adest documentum, quod quidem de Viro B. exhibuerunt Amplissimi Patriae Patres, quum Sacri Ordinis in hac urbe Senioris honorifico munere Eum condecoraverunt. Quo neque in munere Ao. 1660 d. 17. Sept. publice ab Eodem suscepto, opinionem de Eo ceptam sefellit, quin potius talem se exhibuit, qualem, qui in summis atque gravissimis sacris muneribus antea jam vires acuerat atque probaverat, expectare fas erat: imprimis in hoc laudandus, quod iurium fines atque ordinem optime callens, Venerandi Ordinis atque ecclesiae strenue semper tuitus sit jura, attamen, ne in aliorum jura invaderet, solertissime caverit.

Quae Viri merita, haud mirum, quod apud nostros, quibus propius ea spectare et commodis inde promanantibus frui licuit, amorem atque venerationem haud exiguam Ei comparaverunt. Sed ad externos etiam percrebuisse famam, testis est dignitas S. S. Theologiae Doctoris, ab academia Tubingensi, quum anno 1667 tertia ab inauguratione solennia secularia celebraret, ultro Ipsi decreta. Eaque ratione ultimus quoque in Eum collatus honor, ejus quod saepius jam monui, mera scilicet fuisse virtutis praemia quae adeptus est munera pariter atque honores, novam affert probationem, Eumque constituit exemplum, quod sequantur qui verae laudis sunt cupidi. Honos enim sequitur merita, et qui absque his interdum comparatur nec animum fatiat, interno pudore mistus, nec duraturum affert oblectamentum, quoniam fictitiis tantum meritis non in aeternum perstringuntur hominum animi.

Jam de re domestica atque scriptis defuncti monendum videtur. Felicissimo Is sibi junxit matrimonio virginem nobilissimam GEBHARDINAM ELISABETHAM BECHIAM, Berolini natam, quae, per xviii fere annos suavissima Ipsi conjux, anno 1668 d. xxviii Jan. morte sua gravissimi luctus praebuit causam. Progenuit autem ex eadem iv libe-

ros, e quibus natus secundus, CHRISTIANVS LVDOVICVS, quem optimae spei juvenem in scholae Joanneae nostrae prima Classe gratum olim mihi fuisse sodalem recordari juvat, anno 1719 ante parentem obiit, reliqui autem, scilicet

1) Filia natus major, CAROLINA ELISABETHA, Viro Nobilissimo PHILIPPO DIETERICO NEMNICH, a Comite Detmoldico consiliarii cameralis dignitate propter merita sua condecorato, nupta, cum duobus ex Ipsa nepotibus, LVDOVICO ANDREA, et JOANNE HENRICO,

2) Filia tertio inter liberos loco nata WILHELMINA FRIDERICA, denique

3) Filius natus minor CAROLVS FRIDERICVS, vivi supersunt, quibus fausta quaevis per longissimam annorum seriem eventura precamur.

Scriptis Suis non id quaesivit vir Beatus, ut orbem eruditum novo circumfunderet lumine, quod nec adeo facile scriptoribus hodie contingit; multo minus eruditionem ostentando vanam infectatus est gloriolam, sed ea tantum edidit, quae et qualia aut officii aut sperandae forsan communis utilitatis ratio singularis exposcere videbatur. Ejusmodi quidem sequentia Viri B. publice innotuerunt scripta:

I. Conciones five parentationes IV funebres, partim Halae partim Islebiae habitae, iisdemque locis forma integra editae, scilicet

a. in funere *Michaelis Dieterici Michaelfszen*, J. U. D. et regi Borussiae a consiliis bellicis, parentatio. Halae 1748.

b. in funere *Augustae Sophiae*, filiae *Schuberti*, ac celebris J. C. et quondam Antecessoris in Academia Halensi, *Jo. Tob. Carrachii*, uxoris, parentatio. Halae 1750.

c) in funere *Mariae Rosinae*, natae *Kirchofsiae*, inclyti patricii Halensis *Sellentini* uxoris, parentatio. Halae 1752. ac denique

d) in funere Meritissimi quondam Islebiae ad D. Andreae Pastoris, *Ebrenfriedii Lebrechti Albani*, habita concio funebris; quae "faustissima divinae providentiae consilia in regenda hominum sorte per hanc vitam ad futuram usque "felicitem", lectoribus contemplanda sistit. Islebiae 1765 edita.

2. Collectarum orationum sacrarum Tomos IV, quorum primus Halae prodit 1752. IIus 1753. IIIus 1754. IVus 1765. 8.

3. Separatim editae aliquot orationes sacrae, scilicet:

a) De Deo in regendis hominum fati sapiente ac benefico, ex pericopa evangelica Dom. XII. post Trinit., habita Berolini coram militum praesidiariorum coetu A. 1743, eodemque anno vulgata, foliis quaternis.

b) De pulcritudine ac praestantia doctrinarum Jesu Christi, ex pericopa evang. diei domin. XV. post Trinit. concio valedictoria coram eodem habita a. 1747, editaque anno sequenti Berolini forma eadem.

c) De

c) De senectute prospera, secundum peric. evang. diei domin. festum nati-
vitat. J. C. proxime insequentis. Hamb. 1766. 8.

d) Oratio in solemnibus augurationis Viri sacratissimae apud nos memoriae,
JOH. MATTH. LIEBRECHTII, ad aedem D. Michaëlis quondam Diaconi,
habita. Hamb. 1768. Denique huc referre lubet

e) Orationem in celebrandis nuptiis longe Nobilissimi *Güntheri a Bünau*,
cum pariter Nobilissima foemina, *Henrietta Wilhelmina*, vidua a *Bischofswerder*,
nata a *Bünau*, habitam. Halae 1755. 4.

4. Series Exercitationum Sacrarum Cleri Mansfeldensis in templo D. Andreae Is-
lebiae, ab anno 1667 ad annum 1665.

5. Scriptiunculæ duæ invitatoriæ scholasticæ latinæ, quorum

altera, duos novos Collegas, Conrectorem M. *Godofredum Kellnerum*, et
simul collegam tertium, sive Subconrectorem M. *Joannem Gottlieb Behrium*,
die xxx Octobr. anni 1668 in Gymnasium Islebienfe introducendos, rite-
que inaugurandos;

altera, introductionem publicam in Gymnasium Islebienfe Novi Conrecto-
ris *Joannis Friderici Albert*, et Novi Subconrectoris *Benjam. Frider. Schmideri*
in diem Ildam Septembris anni 1665 indixit; editæ Islebiae memoratis
annis, foliis quaternis.

6. Schemata orationum sacrarum Hamburgi in Templo Michaelitano habitarum,
inde a suscepto munere, usque ad obitum, pro annorum numero, XIV voluminibus
comprehensa. Denique

7. aliorum collectionibus insertæ sunt:

a) Concio sacra in die natalium Magni Redemptoris, de gaudio Abrami ex
eo quod diem domini viderit, quæ extat in *Excellentissimi* atque S. R. GOETZII
selectarum orationum sacrarum Tom. I. p. 41 sqq.

b) Oratio latina de antiquissimo splendore scholarum, magni quondam
nominis et nunquam obliviscendæ memoriæ viri, Civitatis nostræ Syndici,
JO. KLEFECKERI, collectarum legum ac constitutionum Hamburgensium
Vol. XII in fine adjecta.

Hiscæ HERRNSCHMIDII vita fuit fatis, studiis, meritis, hono-
ribus conspicua. Mortem denique, quam appropinquantem postremo
vitæ anno sæpius iam portenderat subita Eum corripens vertigo, ejusque
inprimis, quo inter ipsam orationem sacram e suggestu habitam, die viii Au-
gusti s. Dominica Xma post festum Trinitatis anni præteriti, adorta Ipsum
erat gravissimus impetus; attulit Ei tandem gravis ac semper increfcens
stomachi viscerumque debilitas, quæ omnis omnino nutrimenti incapax
ad postremum corpus, lenta tabe confecit. Ita vitæ hujus diem supre-
mum obiit Vir S. R. ad altiora evectus d. xxiii Novembris anno qui pro-
xime præterlapsus est 1669, ætatis Suae sexagesimo septimo,
muneris sacerdotalis suscepti quadragesimo tertio. Senferunt sane Viri
Laudatissimi gravem jacturam, præter amicos, ecclesia quoque et res

D

publica

publica. His vero jam laeto mihi gratulari licet successores defuncti, quos perquam benefice constituit divina providentia. Reverendo enim sacerdotali ordini praeful datus est Vir non Suis solum meritis, sed majorum quoque nobilitate, et, quod singulare prorsus hic nominari meretur, patris atque avi eadem dignitate insignitorum memoria insignis, S. R. WINKLERVS, S. S. Theol. Doctor et ad Aedem D. Nicolai Pastor. In munere vero Pastoralis nec non Scholarchali suffectus est Vir S. R. atque Amplissimus IOANNES IACOBVS RAMBACHIVS, huc usque apud Quedlinburgenses Pastor Meritissimus. Cui utrique Viro, ut ad feros usque vitae humanae fervetur annos, factorumque tot benefactorum in propria salute aucta largam colligat messem, ex animo opto.



tione imbuti sunt. Neque enim unquam separavit, quae indisfolubili nexu cohaerent, credendorum et morum doctrinam, sed ita potius eas conjunxit atque disposuit, ut, saluberrimam illam religionis Christianae de Deo per Jesum Christum hominibus conciliato doctrinam, non solatii modo, sed verae quoque virtutis esse fundamentum, undique appareret. Testes deinde sunt omnes, quibus familiari consuetudine propius Virum spectare fas fuit, quique in rebus secundis participem suae laetitiae, in adversis consolantem amicum experti, omnem vitam praeceptis consentientem cognoverunt. Testis denique est communis atque sincerrimus bonorum luctus, eorumque, qui speciem a veritate fecernere, atque virorum merita justa lance perpendere solent atque valent, de Viro judicium, quod scilicet non eruditione solum, sed vitae etiam dexteritate, morumque inprimis suavitate, et aequa dissentientium toleratione, cujusvis boni promeruerit laudem. Quid quod publicae quoque approbationis adest documentum, quod quidem de Viro B. exhibuerunt Amplissimi Patriae Patres, quum Sacri Ordinis in hac urbe Senioris honorifico munere Eum condecoraverunt. Quo neque in munere Ao. cl̄l̄c̄cl̄xxx d. iii Sept. publice ab Eodem suscepto, opinionem de Eo ceptam sefellit, quin potius talem se exhibuit, qualem, qui in summis atque gravissimis sacris muneribus antea jam vires acuerat atque probaverat, expectare fas erat: inprimis in hoc laudandus, quod jurium fines atque ordinem

allens, Venerandi Ordinis atque ecclesiae strenue semper tuitus attamen, ne in aliorum jura invaderet, sollertissime caverit.

ae Viri merita, haud mirum, quod apud nostros, quibus propius ire et commodis inde promanantibus frui licuit, amorem atque honorem haud exiguam Ei comparaverunt. Sed ad externos etiam missa famam, testis est dignitas S. S. Theologiae Doctoris, ab acadubingensi, quum anno cl̄l̄c̄cl̄xxxvii tertia ab inauguratione secularia celebraret, ultro Ipsi decreta. Eaque ratione ultimus in Eum collatus honor, ejus quod saepius jam monui, mera scilicet virtutis praemia quae adeptus est munera pariter atque honores, offert probationem, Eumque constituit exemplum, quod sequanturae verae laudis sunt cupidi. Honos enim sequitur merita, et qui his interdum comparatur nec animum fatiat, interno pudore nec duraturum affert oblectamentum, quoniam fictitiis tantum non in aeternum perstringuntur hominum animi.

de re domestica atque scriptis defuncti monendum videtur. Felix sibi junxit matrimonio virginem nobilissimam GEBHARDI-ELISABETHAM BECHIAM, Berolini natam, quae, per xviii annos suavissima Ipsi conjux, anno cl̄l̄c̄cl̄xviii d. xxviii Jan. morte missimi luctus praebuit causam. Progenuit autem ex eadem iv libe-

